

facere crearet averfionem ac repugnantiam, idem & fponfæ permittendum foret. *Pontas.*

NOTA. Valde probabile est, quod, si ante fponfalia una pars detineatur infirmitate corporali notabili, quam ex industria occultasset, pars ignorans non teneatur in conscientia exequi promiffionem juxta regulam juris: *paria sunt non esse, & non apparere.* C. A.

CASUS XXX. Claudius solemniter fuit desponsatus Franciscæ, quæ vi contractus fponfalitii dotem asferre tenebatur 10000. Imperiales. Interea domus quædam, quæ præcipuam dotis partem constituebat, pridie diei nuptialis incendio perit. Et ideo Claudius sub prætextu tenuitatis bonorum fupstitum Franciscam ducere renuit.

g. Absque peccato potest Claudius respicere matrimonium cum Franciscæ, hac tamen cum exceptione: *nisi dos ad levanda matrimonii onera sufficiens remaneat.* *Pontas.*

CASUS XXXI. Polybius cum Eleonora contrahit fponfalia; hæc dotem spondet 2000. Imperiales. Paulo post autem hæreditatem obtinet 20000. florenorum. Cum jam tantis divitiis auctæ matrimonium magis proficuum offerretur, recusat nubere Polybio.

g. Tuta conscientia & absque peccato non potest recusare matrimonium cum Polybio, cujus ex parte nulla realis mutatio circa bona fortunæ accidit. *Conditio illa tacita, nisi mutatio notabilis supervenerit, quæ ordinarie in contractu fponfalitio imbibita censetur, non debet referri ad personam contrahentem, sed ad eam, quacum contrahitur. Nihilominus si confessarius Eleonoræ tantam ab hoc matrimonio in ea averfionem advertat, ut pessimæ sequelæ exinde timeri debeant, non poterit per denegationem absolutionis eam compellere ad illud ineundum.* *Pontas.*

NOTA. Confessarius rem relinquat judicio Judicis ecclesiastici, aut pro more regionis, politici, cujus est in negotiis publicis determinare indeterminata circa conditiones tacitas contractuum neque a lege neque ab ipsis contrahentibus satis clare determinatas.

CASUS XXXII. Praxedes comperit, Blasium sponsum suum lapsum fuisse in hæresin; paulo post tamen poenitentia ductum sese recepisse in sinum Ecclesiæ, ac publice abjurasse hæresin.

g. Praxedes non potest obligari in conscientia, ut nubet Blasio. Ratio est 1. quia juxta S. Augustinum hæresis est quædam species fornicationis; fornicatio autem nulla reddit fponfalia. 2. quia abjuratio hæresis adhuc manet suspecta, & merito timendum, ne eam amor proprii commodi aut alius inordinatus affectus suggesserit. *Pontas.*

CA.

CASUS XXXIII. Daniela desponsata Damaso tantam animi averfionem adversus illum concepit, ut ad matrimonium adduci haud posset. Potestne tuta conscientia insistere proposito suo manendi in coelibatu aut nubendi alteri?

g. Non potest propria autoritate dissolvere fponfalia; neque sufficiens ratio est dissolvendi ea, si hæc affectus mutatio proveniat ex naturali inconstantia personæ. Si tamen suborta averfio foret tam magna ac pertinax, ut finis ex matrimonio eventus timeri possint, dissolutio fponfalium a judice ecclesiastico peti potest. *Pontas.*

CASUS XXXIV. Henrica desponsata Lamberto, octiduo post Religionem ingreditur.

g. Multi Authores censent, fponfalia resolvi ipso jure. Cum pluribus autem aliis dicendum, ea resolvi quidem ex parte Lamberti manentis in sæculo, non autem ex parte Henricæ, quæ non nisi post emissam solemnem professionem liberatur ab obligatione promissionis suæ. Hinc si Henrica deposito ante professionem habitu in sæculum rediret, & Lambertus necdum contraxisset matrimonium cum alia, ea teneretur nubere Lamberto id petenti. Lambertus vero ab eod. quo sponsa suscepit habitum monasticum, liber est ab omni obligatione fponfalium. *Pontas.*

NOTA. Hæc conditio, nisi scilicet sponsus vel sponsa assumpserit habitum Religionis, jure naturali aut etiam divino non est imbibita in contractu fponfalitio; & dispositio juris positivi humani ignorari potest. Supposita autem ignorantia dependet a judicio Ecclesiæ, an per ingressum Religionis dissolvens fponfalia vere ducatur motivo altiori, ut mereatur hunc favorem legis.

CASUS XXXV. Alexander desponsatus Florentiæ contra datam fidem, quin sponsa causam dederit, recipit Subdiaconatum.

g. Certum est, per suceptionem Subdiaconatus fponfalia resolvi ipso jure, & utramque partem liberam esse ab omni obligatione; quia Subdiaconatus annexum habet votum solenne castitatis, redditque ordinatum inhabilem ad contrahendum matrimonium. Sic decidunt Bonifacius VIII. S. Gregorius M. S. Leo, & plura Concilia. *Pontas.*

NOTA. Peccavit tamen sic ordinatus graviter; & Papa haberet potestatem eum restituendi sponsæ, nisi fponfalia fuerint aliis ex causis merito irritabilia.

CASUS XXXVI. Germana contraxit fponfalia cum Paulino, quem existimabat probum ac moderatum; comperit autem paulo post, eum esse violentum & valde vitiosum.

115

g. Cau-

ꝑ. Causa hæc sufficiens est ad eximendam sponsam ab omni obligatione; quia certe non consensisset in sponsalia, si novisset vitia sponsi. Ad hæc merito timere posset sponsa, pessime se habendam, ac demum cogendam, ut petat separationem quoad habitationem, aut vitam vivat infellicissimam. *Pontas.*

NOTA. Dependet a sententia judicis, an prudenter censei possit, intentionem puellæ fuisse tacite alligatam tali qualitati.

CASUS XXXVII. Columba inito cum Cassiodoro contractu sponsalicio fuit violenter oppressa ab Athanasio, omnibus licet viribus reluctans. Potestne Cassiodorus eam sub hoc prætextu respuere?

ꝑ. Si sponsus solus sciat factum, nec ulla in eum infamia sit redundatura, juste non potest sponsalia dissolvere. Sunt Authores, qui eum ad id obligant saltem ex charitate, etsi ex justitia non teneretur. Si autem Columba fuisset impregnata, non teneretur eam ducere, etsi factum sit penitus occultum; quia ipse censeretur pater prolis, & proles ipsa præsumeretur legitima cum jure succedendi in bonis tam paternis quam maternis in præjudicium hæredum legitimorum. *Pontas.*

CASUS XXXVIII. Posito quod Columba ultro fornicationem commiserit ante contracta sponsalia, idque Cassiodoro sponso primum innotescat post sponsalia, potestne eam in conscientia repudiare, cum ipse sibi ejusmodi peccati conscientius non sit?

ꝑ. Potest eam repudiare. Ratio est 1. Quia, nisi fornicatio sit proflus occulta, infamia Columbæ in ipsum sponsum esset redundatura. 2. Quia improbitas sponsæ etiam in futurum suspectam reddit ejus continentiam ac fidelitatem, quæ eo facilius violari posset, quo magis peccatum sub velamine matrimonii occultari valeret. 3. Quia sponsus non censetur contrahere cum sponsa nisi sub tacita hac conditione: *modo incontinentiæ rea non fuerit.* Si vero Cassiodorus jam habuit notitiam peccati eo tempore, quo contraxit cum ea, tenetur eam ducere; quia censetur eidem condonasse culpam, & securam exinde infamiam. *Pontas.*

CASUS XXXIX. Victoria comperit, Romanum sponsum suum commisisse fornicationem ante contracta sponsalia.

ꝑ. Non videtur eadem libertas tam facile concedenda sponsæ, quæ conceditur sponso. Si tamen consideratis omnibus circumstantiis temporis, loci & personæ extet probabile periculum, ne sponsus in idem peccatum recidat post nuptias, spon-

sponsa licite resilit. Sed antequam id fiat, diligenter pensandæ sunt circumstantiæ, examinandumque, an Romanum attingant. *Pontas.*

CASUS XL. Tullia scit, Rusticum sponsum suum commisisse fornicationem a tempore initorum sponsalium.

ꝑ. Non est dubium, Tulliam juste resiliere a sponsalibus; promissio enim futuri matrimonii tacite imbitam habet hanc conditionem: *modo continentiam servaveris.* Dissolutio sponsalium semper locum habet, sive sponsus sive sponsa fornicetur; cum hac in re sint ejusdem conditionis, & promissum non debetur contra promissum agenti. *Pontas.*

CASUS XLI. Sylveria Emmanuelli desponsata admisit a Luciano lasciva oscula vel tactus impudicos.

ꝑ. Emmanuel habet sufficientem resiliendi causam. *Potest vir a sponsalibus recedere,* ait Sanchez, *si post scemina tactus impudicos alterius, ut amplexus & oscula patiatur; quia est notabilis mutatio, idque in magnum viri dedecus cedit.* *Pontas.*

CASUS XLII. Isidorus, postquam sponsalia cum Apollonia inita firmaverat juramento, commisit cum ea fornicationem. Dein timens de ejus in posterum incontinentia ac infidelitate, cum tam facile possit seduci, statuit suscipere vitam monasticam, & desuper consultit confessarium.

ꝑ. Confessarius nec debet nec potest probare consilium Isidori, quod exequi non posset sine consensu expresso ac libero Apolloniæ. Isidorus igitur indispenabiliter tenetur promissum ac juramentum implere. Ad hæc bonum famæ ac honoris, quo sponsam per corruptionem spoliaverat, est de jure divino, adeoque præferendum bono professionis Religiosæ, quæ tantum est de consilio. Ita sentiunt Bonifacius VIII. S. Antoninus, Sanchez & plures alii ab eo citati. *Pontas.*

NOTA. Nec juramentum, nec fragilitas, nec motivum Isidori est signum vocationis ad statum Religiosum.

CASUS XLIII. Quid si Isidorus jam tunc, dum peccaverat cum Apollonia sponsa sua, habuisset justam causam resiliendi, eoquod sciret, eam jam antea peccasse cum Jacobo post contracta sponsalia?

ꝑ. Peccatum Apolloniæ præcedens in hoc casu Isidoro non potest esse sufficiens ratio ingrediendi Religionem, sed manet adhuc ligatus promissione sua eam ducendi, quam renovavit ac confirmavit per ipsum actum peccaminosum. *Sponsus a cedens carnaliter ad sponsam,* inquit Sanchez, *censetur remittere jus rescindendi sponsalia ratione causæ præcedentis igno-*

rata, vel subsequens, si illius causæ tempore copulæ conscius erat. Pontas.

CASUS XLIV. Publius sponsus Justinæ lapsus est in hæresin.

ꝑ. Justina jure potest petere dissolutionem sponsalium, & nubere alteri. Pontas. Vide Cas. 32.

CASUS XLV. Kaynaldus sponsus Julianæ peccavit cum Publia, & Juliana cum Titio. Sponso & sponsæ innotuit alterius peccatum.

ꝑ. Nec sponsus nec sponsa potest resilire, utpote paribus delictis mutua compensatione sublatis. Et quamvis peccatum sponsæ turpius sit ac scandalosius quam peccatum sponsi, neutra tamen pars habet, quod alteri exprobet, cum utraque pars ejusdem peccati rea sit. Pontas.

NOTA. Censeo, quod utraque pars possit resilire: nam pars, quæ prior peccavit, amisit suum jus; & si pars innocens hoc illi jus per condonationem restituit, redit in jus pristinum inviolabile a parte altera.

CASUS XLVI. Gennadius sponsus Carolinæ secreto fornicatus est cum Joanna, inscia tamen sponsa sua, cui indubitatum jus competeret resiliendi, si id sciret. Jam quaeritur, utrum Gennadius tam male sibi conscius possit cogere Carolinam ad nuptias, quas illa averfatur, quin ullam causam legitimam allegare queat.

ꝑ. Potest Gennadius adigere sponsam ad implenda promissa. Ratio est; quia non tenetur ultro subire poenam promeritam, quam judicis est infligere. Puella, quæ scit, se non esse virginem, non tenetur desistere a jure sponsalium; immo potest sponsum cogere ad implendum promissum, etsi hic nunquam contraxisset, si novisset hunc defectum. Ergo idem dicendum de sponso. Pontas.

CASUS XLVII. Hermogenes legitime desponsatus Amaliæ, cum ea post inita sponsalia peccasset, propria auctoritate, non implorando sententiam judicis ecclesiastici, rescindit sponsalia, & ducit aliam.

ꝑ. Non videtur peccasse mortaliter, nisi fors per hunc actum disciplinæ ecclesiasticæ oppositum dederit grave scandalum. Immo potest dici, Hermogenem egisse ex præscripto charitatis, dum sic conservavit honorem ac famam Amaliæ. Notandum hic, auctoritatem judicis solum requiri ad dissolvenda sponsalia publica ac notoria: occulta enim & clandestina possunt ex gravi ac justa causa dissolvi privata auctoritate desponsatorum, aut eorum, quorum interest. Pontas.

C.A.

CASUS XLVIII. Medardus habet causam legitimam publice notoriam resiliendi a sponsalibus cum Julitta initis. Teneturne hoc non obstante sub peccato recurrere ad judicem ecclesiasticum pro obtinenda dissolutione eorum?

ꝑ. Quidam Authores existimant, auctoritatem judicis ecclesiastici non esse necessariam, si adsit causa justa, certa ac notoria, & scandalum non sit timendum. Alii docent, sponsalia valide contracta dissolvi non posse absque peccato nisi per judicem ecclesiasticum, exceptis tamen sequentibus casibus: 1. Dum una pars amplectitur statum Religiosum. 2. Dum vel sponsus vel sponsa actu contraxit matrimonium cum alio vel alia. 3. Si ex parte alterutrius superveniat fornicatio notoria. 4. Si detegatur impedimentum dirimens consanguinitatis aut affinitatis. 5. Denique, dum sponsus suscepit sacros Ordines. Addendum hic, quod, si sponsalia sint prorsus occulta, nec contracta coram parochio, prætermitti possit ad eorum dissolutionem judex ecclesiasticus, cum non possit oriri scandalum. Pontas.

NOTA. Etsi in quinque his casibus non detur lex generalis requirendi auctoritatem judicis ecclesiastici ad dissolutionem sponsalium, possit tamen dari lex particularis diocesana, quæ omnino servari deberet. C.A.

CASUS XLIX. Eduardus sponsæ suæ, quæ peccaverat cum Arnaldo, in præsentia parochi declarat, se retractare suam sponsonem, utpote argumentis certis convictum de infidelitate ipsius.

ꝑ. Non sufficit hæc declaratio ad dissolutionem sponsalium; cum parochus hac in re non sit Superior legitimus, sed Episcopus, vel Officialis, vel alius ab eo delegatus. Pontas.

CASUS L. Philogonius & Livia sponsalia inierunt coram SS. Sacramento, eaque juramento firmarunt, ac in rei testem vocarunt Christum in Sacramento præsentem. Viguit exinde turpe inter eos commercium, quod advertentes consanguineus Philogonii eum ex Germania miserunt in Italiam negotiorum causa. Ante abitum renovavit promissum sponsæ suæ, vicissim integram fidelitatem spondenti. Ex Italia primo biennio plures ad sponsam dedit litteras ininterruptæ fidei suæ testes; sexennio autem abhinc nec litterulam.

ꝑ. Livia absque peccato potest alteri nubere, quin teneatur desuper monere Philogonium (immo ne quidem indiget relaxatione juramenti: leges enim desponsatis terminum expectationis fixerunt respectu absentium, intra eandem tamen provinciam existentium, duos annos; triennium vero pro

exi.

existentibus in diversis provinciis. Non reperitur, qui terminum hunc longius protrahat. *Pontas.*

CASUS LI. Ludovicus promissit Lydiæ, se cum illa in futurum conjugium ad summum intra sex menses. Annus autem fere abiit, ex quo Ludovicus Lydiam non invisit, nec scribit, nec indicat perseverantiam propositi sui. Lydia hanc sponsi indifferentiam ægre ferens contrahit cum alio, secuta autem mox oppositione Ludovici.

¶ Non tenetur ullam hujus oppositionis rationem habere Lydia. *Ubi terminus apponitur, ait Innocentius III. ultra terminum non tenetur ad contrahendum; alias nihil operaretur oppositio termini. Pontas.*

CASUS LII. Sebastianus sponsus Monicæ abiit in regionem valde remotam, & quidem infcia sponsa, ibique moratur notabili temporis spatio.

¶ Monica certe potest petere rescissionem sponsalium. Ita declaravit Alexander III. *Pontas.*

CASUS LIII. Si autem Sebastianus abiisset in regionem non admodum distantem a domicilio Monicæ, num ea ex justitia tenetur expectare reditum sponsi, aut saltem illi declarare propositum suum querendi alias nuptias, si certo tempore non sit rediturus? Potestne hoc tempore elapso nubere alteri?

¶ Si in utroque casu sponsus absens foret consentiente sponsa, hæc juxta quosdam Authores teneretur sequi dispositionem legum Romanarum casu 50. indicatam. Alii censent, non tam rigore insistendum his legibus, sed determinationem temporis relinquendam esse arbitrio judicis ecclesiastici; id quod æquitati & rationi multo conformius est, & in pluribus dicecesibus usu venit. *Pontas.*

CASUS LIV. Sempronius jam per octo menses desponsatus Titæ ipsum matrimonium ab uno tempore in aliud sub variis ac vanis prætextibus protrahit. Quid agendum sponsæ?

¶ Sponsa citandum curet sponsum ad Superiorem legitimum, ejusque sententiæ se conformet: nec enim, ut ait Glossa, *in sua causa potest quis esse iudex. Pontas.*

CASUS LV. Florinus peccavit cum Constantia, sine proposito tamen eam ducendi. Pater puellæ sciens, eam esse imprægnatam, vehementissime urget Florinum, ut eam ducat; hic autem reponit, parentes suos non consensuros, cum puella esset longe inferioris conditionis. Pater demum puellæ promittit dotem adeo notabilem, ut Florinus in præsentia parochi pure ac simpliciter jurato pronoverit, se ducturum corruptam. Jam queritur, utrum Florinus, qui per plures menses frustra apud patrem Constantiæ pro dote insti-

sti-

iterat, in conscientia teneatur puellam ducere, maxime ratione juramenti, etsi pater non nisi tertiam partem promissæ dotis offerat.

¶ Non tenetur, nec juramentum additum obligat; quia fuit alligatum promissioni patris & quantitati dotis. Ita sentiunt Sylvius & Navarrus nisi hoc principio: *judicio prudentis viri consideratis negotii circumstantiis nunquam promississet, si illud præcogitasset. Pontas.*

CASUS LVI. Antonius & Raynalda desponsati, refrigerante sensim mutua charitate & amicitia, remiserunt sibi invicem obligationem sponsalitiæ propria autoritate.

¶ Absque peccato id fieri potuit, etsi sponsalia fuissent juramento firmata. Ita declarat Innocentius III. concordatque regula juris: *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Reciproca utilitas partium fuit motivum sponsalium; & hac cessante mutuo consensu tollitur obligatio. *Pontas.*

NOTA. Si sponsalia fuerunt solemniter contracta coram parcho & testibus, etiam dissolvenda sunt coram parcho & testibus.

CASUS LVII. Hubertus inuit sponsalia cum Julia, quæ accepto licet ab eo arrhæ instar munusculo recusat illi nubere. Teneturne arrham restituere? Aut num teneretur ad restitutionem, si ipsa volente Hubertus nollet eam ducere ex mera inconstantia?

¶ Quoad primam quæstionem Julia tenetur restituere arrham, nisi habeat legitimam causam resiliendi. Quoad alteram certum est, omni jure privari Hubertum ad arrham. *Pontas.*

CASUS LVIII. Martinus & Joanna sponsalia contractentes convenerunt de multa pecuniaria solvenda a resiliente. Martinus resilit; teneturne solvere multam stipulatam?

¶ Joanna non habet jus exigendi hanc pœ am conventionalem; quia omnis ejusmodi pactio nulla est in sponsalibus, cum adversetur plenæ ac integræ libertati ad contractus matrimoniales requisitæ. Non solum Jus Canonicum, sed & Civile reprobat id genus stipulationes; ex quo inferitur, eas nec in foro interno ullam habere vim obligandi, etsi fuissent juramento firmatæ; quia non licet exequi juramentum circa rem per leges Ecclesiæ prohibitam. *Pontas.*

CASUS LIX. Dionysius homo mediocri fortunæ contracturus sponsalia cum Natalia puella ditissima paciscitur cum ea, ut si ipsa resiliet absque culpa sponsi, teneatur compensare lucrum cessans, illud videlicet, quod consecutus fuisset ex tam pingui matrimonio. Justane est hæc stipulatio?

¶ Sti-

q. Stipulatio hæc cum sit injusta, Natalia non tenetur ad ullam compensationem vi hujus conventionis; quia præter rationem casu præcedente allegatam Dionysius nullum habet jus ad illud lucrum ante actualem celebrationem nuptiarum. *Pontas.*

CASUS LX. Julia desponsata Thomæ potestne absque injustitia ab illo recipere summam pecuniæ titulo compensationis a Thomæ injuste resiliente sibi oblatam?

q. Si vere quoddam damnum passa est, potest eam recipere; immo justam damni reparationem poterit judicialiter exigere. Si vero nullum pertulit damnum, nec quidpiam recipere nec exigere potest titulo compensationis. *Pontas.*

CASUS LXI. Sponsalia absque testibus & assistentia parochi inita suntne valida? An ex iis contrahitur impedimentum publicæ honestatis in ordine ad matrimonium?

q. Quoad utrumque attendendum est ad consuetudinem diocæsi, & ad ea, quæ præscribuntur in Ritualibus. *Fromageau.*

NOTA. Impedimentum publicæ honestatis inducitur etiam per sponsalia clandestina; quia inhonestum est, conjunctionem animorum sponsalitiâ habere cum pluribus propinquis in primo gradu.

CASUS LXII. Berta contraxit sponsalia cum juvene, cujus effrenata vivendi licentia probro futura esset toti familiæ Bertæ, si ipsi matrimonio jungeretur.

q. Sponsalia hæc sunt invalida; quia ejusmodi matrimonium adversaretur pietati ac charitati parentibus & consanguineis debitæ. Berta insuper ageret contra justitiam; quia hæc conjunctio fieri non posset absque damno ac præjudicio quorundam ex familia Bertæ. C. B.

CASUS LXIII. Paulus post contracta cum Berta coram testibus sponsalia clam emittit votum simplex castitatis.

q. Paulus tenetur ducere Bertam, quod eruitur ex Cap. *Veniens.* 5. Lib. 4. tit. 6. ubi Alexander III. jubet pœnitentiam imponi puellæ, quæ post contracta sponsalia votum castitatis emiserat; quod factum non fuisset, si per votum castitatis sponsalia solverentur. Accedit, quod in his circumstantiis votum non possit acceptum esse Deo; cum cedat in præjudicium illius, quocum sponsalia fuere inita. Hinc si Berta exigat, Paulus tenetur eam ducere non obstante voto. C. B.

NOTA. Si Paulus nolit ingredi Religionem, censeo hoc votum esse nullum, utpote imprudens, moraliter inobservabile, & cedens in notabile præjudicium sponsæ, cui gravissimum accideret, nunquam frui posse cupitis amplexibus, nisi per importunas vel inverecundas preces, etiam tunc ac toties iterandas, quoties in mar-
ver-

vereret gravam tentationem. Hinc sponsus pro tranquillanda sua conscientia tenetur petere saltem commutationem sui voti; & si hoc non faciat, sponsa conscientia habet causam resiliendi.

CASUS LXIV. Tarquinia marito suo periculose decumbente intensissimo dolore abripiebatur. Galenus olim cum ea luxuriose versatus, eam solabatur inquiens: quid multum angeris, si moriatur maritus, ocyus habebis alium: vis mihi nubere post mortem mariti? Illa subridens consentit, & defuncto marito ambo se vere desponsatos esse existimaverunt. Suntne valida hæc sponsalia?

q. Non valent: siquidem, etsi omnes aliæ conditiones requisitæ adforent, deest tamen promissio Galeni reciproca & absoluta; dicta enim illius ad Tarquiniam ante obitum mariti ostendunt quidem animi propensionem ad eam ducendam, non autem positivam promissionem. Adde, hæc sponsalia etiam ex alio capite non valere; quia promissio ejusmodi facta vivente conjuge non solum est graviter illicita, verum etiam omnino nulla ac irrita. C. B.

CASUS LXV. Sparso rumore de dictis in casu præcedente sponsalibus supervenit Cajus, sibi deberi prætendens Tarquiniam, & non alteri; eoquod cum ea jam contraxisset sponsalia, antequam nupserat marito primum defuncto. Num justa hæc Caji prætentio?

q. Justa est, si absque causa legitima, ut supponitur, Tarquinia resiliit a contractu sponsalicio cum Cajo inito, ac etiam in præsens non habeat justam causam repudiandi Cajum. Ratio est, quia promissio facta & acceptata cadit in debitum, cujus obligatio impotentia intermedia suspenditur quidem, non autem extinguitur nisi impotentia perpetua. Hinc si Tarquinia cogitet transire ad secundas nuptias, Cajusque, qui se ea indignum non reddidit, velit eam ducere, tenetur absque dubio illi nubere, & non alteri. C. B.

CASUS LXVI. Franciscus initis cum Berta sponsalibus peccat cum ea; paulo post detegitur ipsi causa legitima resiliendi, & quidem jam posita ante peccatum, sed ipsi tunc non cognita.

q. Franciscus potest dissolvere sponsalia, supposito quod causa noviter detecta sit vere sufficiens; quia, cum voluntas non seratur in incognitum, nemo censetur per propriam actionem renunciare juri suo, quod tempore actionis ignorabat se habere. Hinc, etsi Franciscus peccando cum Berta videretur obfirmasse animum suum sponsalia ad effectum perducendi, jus tamen resiliendi, quod tunc habere se nesciebat, salvum persistit etiam post peccatum commissum. C. B.